

postquam eum vendidissent, in afflictione positi dicebant ad se invicem: *Merito hac patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus*, Gen. XLII. In quæ verba scribit S. Chrysostomus: « Sicut ebrius quando multum vini ingurgitat, nullum sentit a vino damnum, postea autem sentit quantum sit damnum; ita peccatum donec consummetur, obtenebrat mentem, deinde vero conscientia exurget et quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans absurditatem facti. » Similiter Bessus, ut narrat Plut. I. de sera Numinis vindicta, cum proprium parentem interfecisset, multo delituit tempore. At cum aliquando ad hospites coenatum pergeret, hirundinum garienium nidum hasta deturbavit et contrivit pedibus, causam proferens, « Quia jam dudum, inquit, falsum contra me ferunt testimonium, dum cantillando dicere videntur, me proprium occidisse patrem. » Quod cum audissent circumstantes et ad judicem retulissent, meritas ille poenas dedit. Ad hæc licet ager aliquando, et judici resistet atque accusabit. Hic enim est ille adversarius de quo Dominus Matth. V. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat adversarius judici, etc.* ex sententia S. Athanasii quæst. LXII. *Esto igitur ei consentiens, dum es in via, id est, sequare dictamen et duetum conscientiae tue.*

Jam ergo si ab unico lictore scires in quo-cumque opere tua observari, et videri, nonne caveres? Bonam habebat causam Moyses et bonum zelum, cum Ægyptum, qui Hebræum quemdam percutiebat, occidit; nihilominus prius circumspiciebat huc atque illuc utrum nemo adesset et factum videret, Exod. II. qui si quem inspectorem vidisset, nequaquam id attentasset. Atqui præsens semper est conscientia et intuetur facinus, non quomodocunque, sed quasi testis et lictor, ut delinquentem judici sistat: merito ergo timenda est conscientia inspectio. Scribit Seneca I. VII. de benef. c. XXI. de quodam Pythagorico, qui forte calceos cum a sutori emisset, postero die pretium numeraturus, ubi ad officinam veniens mortuum intellexit sutorum, letabundus, quasi jam ære liber esset, abscessit; mox tamen facti pœnitents et oculos quodammodo recludens ad officinam rediit et pecuniam per rimam ingessit, dicens: « Illetibi vivit, tu redde quod debes. » Utinam Christiani sic saperent, vel certe resipiscerent?

III. Quia ipsa est etiam judex, vindicta et carnicem delinquentis. Quemadmodum nihil jucundius ac securius est pace conscientiae, quam Apostolus Paulus in omnibus suis epistolis (præter eam quæ est ad Hebreos) precatur iis,

ad quos scribit; sic nihil amarius et periculosis conscientiae bello, siquidem ipsa perpetuo exagitat hominem, increpat et allatrat. Prædixit hoc Deus Caino: *Si male egeris, statim infribus peccatum tuum aderit* (Heb. excubabit, quasi canis scil. allatrans furem.) Unde S. Aug. I. I. confes. c. XII. « Jussisti, ait, Domine, et vere sic est, ut pæna sit sibi inordinatus animus. » Canis quidam, ut refert S. Ambros. I. VI. hexam. cum inter adstantes cadaveri vidisset interfectorum domini, mordicus eum apprehendit et tenuit, lacrymabile immurmurans, donec reus crimen fateri cogeretur et poenas daret; sic conscientia mordet reum et tenet, donec in judicio Deo se prodat et poenas luat: quin etiam in inferno perpetuo eos allatrat, quod vel ipsi gentiles intellexere, qui finxere Cerberum horrendo suo latrato inferos perterre facere. Exemplo est Herodes, qui et metuebat Joannem vivum Marc. VI. et postquam occidisset Joannem, fama Christi scilicet mira operantis territus est, putans surrexisse a mortuis Joannem, adeoque plus timebat jam mortuum quam vivum, ut advertit S. Joan. Chrys. hom. XLIV. in Matth. Herodis etiam pater audiens a magis, natum esse regem Judæorum, turbatus est, quia Galilæam malo titulo (ex commissione Romanorum, qui tyrannice eam occuparant eique donarant) et per multa parricidia adeptus fuerat. Theodoricus Gothorum rex cum Symmachum innocentem et egregiæ probitatis virum occidisset, et paulo post caput magni piscis, exerto dentibus et truculento aspectu, inter alia ferula ad mensam appositum esset, visum id ei fuit esse caput Symmachì, nuper a se occisi; unde concito gradu in cubiculum abscessit et lectulo decubuit, indeque paulo post mœrore confectus periret. Baron. anno 526. Nero ob cædem matris crebro dicebat se specie materna exagitari, verbis furiarum et tædis ardentes; ad haec vidiit per quietem, navem sibi regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octavia matre in arctissimas tenebras. Sueton. cap. XLVI. Dion. in Nerone.

Quod si vero peccator nunc non ita experitur hoc tormentum, experietur sane et vehementissime in articulo mortis. Ut enim navis pondus non valde sentitur, dum trahitur in aquis, sed tunc primum, cum extrahitur ad littus; sic pondus peccatorum primum omni ex parte sentitur in hora mortis. Ita Antiochus ille rex scelestissimus et spoliator templi Jerosolymitani lethali morbo percusus: *Nunc, inquit, reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem. Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista; et ecce pereo tristitia magna in terra aliena.* I. Macch. VI. Itaque conscientia tunc hominem condemnabit *In die, cum judicabit Deus occulta*

hominum. ut ait Apost. ad Rom. II. Nemo non pacatam sibi et tranquillam optat ultimam vitæ periodum; sed qui conscientiam suam tam facile gravat, quomodo ejusmodi mortem obtinet potest? Absciderat aliquando David oram chlamydī tantum de veste regis Saül, et protinus percussit eum cor suum quod id facere ausus esset, Genes. IV. *Ecce statim præ foribus adest peccatum.* Hoc eodem medio persuasus et tentus fuit idem David ab Abigale, quando ejus domum vastare decreverat. Dicebat enim illi mulier: *Non erit tibi hoc in singultum et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium; aut ipse te ultus fueris?* Cum enim sciret Davidem esse virum conscientiosum, non putavit efficacius medium adhiberi posse ad placandam ejus iram, quam scrupulum conscientiae e peccato prodeuntem, ei offerendo. Hoc igitur frænum omnium fortissimum esse Christianis debet, ne delinquant.

IV. Quia Christianos præsertim decet vel sola duci conscientia, licet aliae leges non essent positæ; decet, inquam, eos duci amore virtutis et horrore peccati, non timore pœnarum. Si nimur hoc philosophi antiqui faciebant, quanto magis debent facere Christiani? Etenim philosophus quidam Aristippus, cum ex eo Dionysius tyrannus percontaretur, quid præcatæris mortalibus eximum haberent philosophi, respondisse fertur: « Ut etiamsi omnes leges aboleantur, tamen æquabiliter viciuri sint. Vulgus nimur a peccando legum præscriptis arcetur, philosophus rationem habet pro legibus, et rectum facit; turpe vero omittit, quia novit id rectum, hoc turpe esse. » Laert. I. VI. Tale omnino discrimen debet esse inter Christianos et alios non Christianos. Pulchre hac de re Cic. I. III. offic. scribit: « Satis nobis, si modo in philosophia aliiquid profecimus, persuasum esse debet, si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. Hinc ille Gyges inducit a Platone, qui cum terra decessisset magnis imbris, in illum hiatum descendit, æneumque equum (ut ferunt fabulæ) animadvertisit, cuius in lateribus fores essent; quibus apertis hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, annulumque aureum in dito, quem ut detraxit, ipse induit; (erat autem regius pastor) tum in consilium pastorum se recepit, ibi cum palam ejus annuli ad palmam converteret, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat, idem rursus videbatur cum in locum annulum inverteret. Itaque hac opportunitate annuli usus, reginae stuprum inlilit, eaque adjutrice regem dominum interemit, sustulitque quos obstare arbitrabatur, nec in his quisquam eum facinoribus potuit vide-

re; sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet, honesta enim bonis viris non occulta queruntur. » Haec Tullius. Vilebant isti naturaliter turpe et nefas esse, quod homo a se ipso discrepet et alter agat, quum agendum esse sentiat. Hoc enim est practicum quoddam mendacium. Quid si isti credidissent insuper extremum judicium? Confundunt ego philosophi illos Christianos, qui ubi leges deficiunt, vel cum occasio datur impune peccandi, liberrime in conscientiam suam peccant. Quid non facerent nunc Christiani aliqui, si hunc annulum haberent? Annon experimur, quam libere delinquant, cum vel leges, vel inspectio magistratus deficiunt? Nemo fere amplius mediocri lucro contentus est. Nemo timet negligere præcepta Ecclesiæ, nisi inspectante magistratu et minante virga; ut ita videantur plerique instar Herodis nunc incarcerasse vel omnino decollasse conscientias suas. Qui tamen suo tempore pœnas luent, et sicut Herodes tandem a Caio Cæsare in Galliæ Lugdunum ablegatus miser perit; sic isti conscientiarum suarum oppressores exulabunt in inferno. Certe cum videt Deus perire conscientiae igniculum in hominibus, sicut eos ex hominibus degenerare in bestias; tunc incipit eos gravissime ferire et delere. Sic Gen. VI. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ: quod et fecit per diluvium.*

Quoniam igitur tanti refert sequi ductum conscientiae, nemo nostrum sit, qui ducem hunc incarcernet, et multo minus occidat. Audamus iterum Ciceronem ad Atticum sribentem lib. III. « A recta conscientia, inquit, non oportet quemquam in omni vita sua transversum unguem discedere. » Sicut enim scriptor, ubi a calamo deflectit oculos, illico aberrat; et navarchus ubi acum nauticam non observat, illico deviat; ita qui in omnibus actionibus suis non attendit ad conscientiam suam. Viderit ergo unusquisque, quid et quomodo scribat in tabulas animæ suæ, ne forte contra seipsum scribat, et litteras Uriæ in proprio sinu gerat ad suam damnationem: viderit quo naviget, ne a tramite justitiae et portu salutis æternæ aberret.

- I. Quia signum animi muliebris. — II. Quia signum animi levis. — III. Quia laqueus diaboli. — IV. Quia temporis dispendium. — V. Quia index humanæ misericordiæ. — VI. Quia probrum protoplastorum. — VII.

Quia probrum etiam vestiti. — VIII. Quia fere sordibus constat. — IX. Quia magno constat. — X. Quia modum nescit.

THEMA.

Ecce qui mollibus vesciuntur, in domibus regum sunt. Matth. XI.

Non est, auditores, ut existimemus eos, qui in regum aulis degentes mollibus vesciuntur, a Christo reprehendi: non enim sunt arguendi, qui ad honorem regis aulaeque regiae majestatem pro officiorum suorum dignitate splendide vesciuntur: sed illi reprehenduntur, qui in vestitu luxu exorbitant, in eoque sibi et hominibus perperam placere cupiunt. Hi enim non in aulis regum terrenorum sunt, sed in domo regis tartarei, de quo dicitur Job XLI. *Ipse est rex super universos filios superbie;* quemadmodum scilicet e contra Christus rex omnium humilium. Quare nos ut ab aulicis regis inferorum abhorreamus, audiamus quam abominandus sit eorum luxus.

I. Detestandus est quia signum est neglecti et muliebris animi: mulierum enim est se comere et ornare: virorum interna sunt ornamenta judicium, sapientia, virtus et cetera. Ut ergo avis e pennis, ita e vestitu agnoscitur quisque, virilis an muliebris animi sit. Sane Philippus rex Macedo quemdam ex Antipatri familiaribus in judicium subsellia extulit; verum ubi eum, nescio quo fuso, barbam et capillos tingere rescivit, ab officio dimovit, causam addens, eum in rebus gerendis non videri dignum cui fidatur, qui in capillis fidus non esset; refert P. Jerem. Drex. in suo Trism. I. III. c. X. Sic inter Christianos Tiburtius in vita S. Sebast. Torquatum cincinnato capillo hominem, pro Christiano agnoscere noluit, licet is judicii presentatus, Christianum se profiteretur: aiebat enim judicii Tiburtius: « Credisne, vir illustrissime, hunc esse Christianum, qui in sui lenocinio moliendo, capitis fimbrias admittit, etc.? Nunquam tales testes Christus dignatus est habere servos suos. » Displacent certe comptuli et cincinnatuli illi Christo, sed e regione placent daemoni qui propterea et ipse cincinnatuli nomen assumpsit. Scribit enim Caelius et Rodig. I. VIII. c. X. eum se et totam fere Italiam audivisse de mulieris utero loquentem, nomenque illi fuisse cincinnatuli; qua is appellatione gestiens inclamanti responsa dabant. Viderint ergo illi, qui in crispando capillo aliisque corporis ornamenti tantum studium ponunt, cui idolo lalent.

II. Quia indicium levis et lascivi animi. Ut enim suspensa prae foribus arbore vinum venaile prodit; ita cultus vestium aequo plus festivus, venaile puellam aut juvenem. Hinc S. Cyprianus de habitu virgin. ait: « Ornamentorum et vestium insignia, et lenocinia formarum, non

nisi prostitutis et impudicis feminis conveniunt; et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. » Eustachius etiam in Iliad. I. testatur apud Syracusanos lege cautum fuisse, ne aurum aut purpuram ferrent mulieres, nisi impudicitiam professae; idemque apud Lacedemonios usitatum fuisse, scribit Clemens Alexandr. lib. IV. paedagogi. Quare sapienter decrevit Zaleucus Locrensis inter alia, ut mulieres nonnisi cum scortari atque amatores sibi moliri auderent, aureis indui ornamenti et contextis arteque elaboratis venustari in dumentis possent, Diod. I. XII. Eant iterum comptuli et comptulae, utantur hoc privilegio.

III. Quia laqueus est diaboli, non modo alii intuentibus, sed proprio etiam subiecto. Velut enim cerastes serpens, qui cornicula habens quadrigemina, eorum motu (reliquo corpore occultato) sollicitat ad se aves et intercipit, Plinio teste I. VIII. c. XXIII. ita vestium luxus in quæ cornua efformatus nescio, allicit incautos saepe juvenes et illaqueat. Ea de causa S. Antoninus Florentinus archiepiscopus feminas venustiore habitu, velut illicium diaboli, in templo non ferebat, apud Sur. tom. III. in vita illius.

Deinde etiam sibi laqueum saepe texunt, qui se mollibus vesciunt. Quemadmodum enim columbae dum sibi in colorum varietate placent, atque ut eam in pennis et aliis suis ostentent, inani quadam jactantia eas inter se collidunt et implicant non sine strepitu, quo excitati accipitres eas facile corripiunt, ut scribit Plinius I. X. c. XXXVI. ita non raro mulieres, dum venustius se comunt, poliunt, adornant, lascivorum animos accidunt, quorum insidiis deceptræ quandoque in lapsum impelluntur.

IV. Quia pretiosi temporis dispendium est. Quantum enim temporis absumitur in hujusmodi cultura? S. Nonnus abbas Heiopoli videns Pelagiam meretricio cultu ad stuporem exornatam, flevit, quod ea mulier longe plus studii et temporis insumeret ad poliendum corpus hominibus placitum, quam ipse in excella anima Deo placitura. Sur. in vita S. Pelagiæ. Praecclare Thomas Morus Angliae cancellarius cum intervenisset virgini ad speculum stanti, quæ multo cum labore nec sine dolore comas nodo cogebat, et tunicam, quo gracilior videretur, arctissime stringebat, festive eam interpellans aiebat: « Nisi Deus tibi pro hoc tanto labore infernum reddat, magnam tibi profecto injuriam faciet. » Stapleton. in vita Mori c. XII.

V. Quia index est ac proditor propriæ paupertatis et inopiae; quidquid enim pellum, quidquid serici, quidquid pannorum est, quidquid telarum, auri, argenti, gemmarum aliarumque rerum, quibus homines se exornare solent, ab

aliis et fere a brutis mutuata et accita sunt; et quo quisque pluribus eorum se vestit et adorat, eo se pauperiem utpote pluribus indigentem demonstrat. Quare si oves, boves, vituli, caprae, vulpes, martes, lupi, etc. pelles suas ab homine repeterent, quid quæso vestium ei remaneret? Nudus prorsus fieret, similis Adamo in paradiiso. Cum ergo alienis plumis sese ornet homo, qui de his extollit potest? Nonne in suo illo decore vincitur ab animalibus, a quibus eum mutuatus est? Croesus Lydiæ rex regie ornatus, sublimi solio residens Solonem interrogavit, an pulchrius unquam spectaculum vidisset? « Vidi, respondit, in gallis gallinaceis, phasianis, et pavonibus. » Laert. I. de vita Phil. cap. II. Demonax cuidam purpura vestito in solescenti in aurem dixit: « Heus tu, hoc ante gestavisti ovis, et ovis erat! » Significans illum supra ovem nihil habere. Quin etiam ridendi potius sunt, qui alienis superbunt vestibus, velut suis. Cum enim simiam braccis et tunica indutam cernimus, omnes in risum solvimur, quia nimis vestitus ille naturalis et congruus ei non est; quid ergo, putatis, dicent bestie illæ, quarum pellibus vel pennis utimur ad ornatum et vestitum nostrum, si, cum nos suo vestitu in solescente vident, loqui possent? Proverbio dicitur: *Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia.* Ita licet homo natura sua deformis et nudus, alienis sese pellibus, pilis et plumis multicoloribus adornet; homo tamen erit foedus, miserabilis, si vestibus destituantur.

VI. Quia est probrum primorum nostrorum parentum et stigma seu cauterium peccati totius generis humani. Scimus enim primos parentes ob prævaricationem texisse se foliis ficus, deinde vestibus indutos esse, qui prius nudi, angelorum instar, absque erubescencia in paradiiso versabantur. Perinde igitur est in vestibus gloriam querere, ac ostentare compedes et catenas, quibus vinctus es ob scelerata tua. Etsi compedes ac catenas illas velles tibi fieri aureas, nihilo plus decoris tibi comparares: sed dedecus augeres et risui te insuper exponeres. Deinde vestes primorum parentum non ex auro, vel argento, non e serico vel byssῳ aut sindone, sed pelles erant animalibus detractæ, crudæ ac rudes, nulla politura, ut essent tam nobis quam ipsis symbolum pœnitentia. Pudet ergo eum parentum suorum, quisquis a modesto vestitu deflectit ad splendidum et ornatum.

VII. Quia probrum etiam gerenti est, et dedecus potius quam decus. Habitus enim æquo cultior ostendit hominem inanem, fastuosum, videri cupidum, superbie verme intus arrossum. Ut enim tempia Ægyptiorum foris magnifica et elegantissima erant, intus vero non nisi felem, crocodilum, aut serpentem pro deo

culto monstrabant, ut docet Clemens I. III. ædag. cap. II. ita plurimorum *Filiæ compotæ circumornatae ut similitudo templi*, ait Psalmus; intus vero in anima plena sunt vanitate, leitate, superbia, impudicitia. Quare si homines sanctos videre quis desideret, nemo monstrabit illi Salomones aut Jezabeles, simileque pavones; sed Eliam, virum pilosum et zonapellicea accinctum. IV. Reg. I. Joannem pilum camelorum vestitum, etc. Isti tali vestitu insigne laudibus celebrantur; contra comptuli et omnipotulæ, unde sibi existimationem serere oportet, inde sibi probra et confusionem manifestum. En, aiunt, pavonem, pupam, statuam quam affabre depictam! Itane statum ejus tantus ornatus decet? Unde illi nummi, quos in statum cultum projicit? Nimisrum e pluribus pauerum spoliatorum. Pulchra bestia, dieunt alii, ornatum ejus mihi optarem, vel ipsum alteridamnam alii: de quo stemmate est ille, vel ist? Homines e pago; progenitores eorum rastrarunt. Ille ipse olim olus vendidit et natus manica abstersit, etc. haec illorum sunt eloia.

VIII. Quia fere sordibus constat. Quid enim aurum et argentum, nisi terra rubra et alb? Quid byssus, nisi vermium, bombycum scilicet putredo? Quid uniones, nisi concharum excrementationa? Quid lanæ pretiosæ, nisi ovium vellera? Quid calcei et chirothecæ, nisi pelis animalium? Quid zebittum, nisi stercus et seu moschi? Videtur ergo Deus hanc hominum superbiam damnasse ad excrementationa, que admodum damnavit serpentem, ut terram semper comedere.

IX. Quia magno impedio constat e supellectilem exhaustum. Ea enim est multorum libido se sumptuose vesciendi, ut nullis sumptibus parcant, nullas expensas vereantur, et malit potius domi esurire, debita contrahere et animalia debere, quam luxu vestium astinere. Fuit anno 1518. princeps (refert P. Jerem. Drexilius lib. III. Trism. c. IX.) qui talare munificum habuit suffultam pellibus, quas pellio carduelium seu acanthidum capitellis, operis prorsus incredibili confecit: sed concedi forsi hujusmodi impedient principibus possent, nisi eamdem plebeii studerent imitari. Eo enim nunc temporis deuentum, ut vestium nitore et pretiositatem in plebe potius cernere sit quam in summis capitibus: nec tam in aulis equirendi sint, qui mollibus vesciuntur, quan in vulgi plebecula; quamquam et principes ppter hunc luxum ad egestatem redigi possunt. Eorum enim putatis, Salomon exactionibus nimirum oppressit suos subditos et jugum grave eis imposuit, nisi ob lasciviam et luxum, ad tot nimisrum mulierculas comedendas, ornandas, poliendas, vestientes? Fuerunt enim ei uxores quasi ginæ sep-

tinentia et concubinae trecenta. III. Reg. XI.
2. Denique libido haec vestiendi finem et molum nescit. Videmus enim singulis pene lustis communem et usitatam vestium formam immitari ac peregrinam introduci; novas praeter artes earum conficiendarum quotidie excoigi: unde non mirum, si tam insatiabili cupiditi interdum finem Deus imponat. Id enim imprimis experta est femina illa (quam Romni imperatoris sororem fuisse putat Baronis anno 998.) quam scribit Petrus Damianus d. Blancam comitissam, adeo fuisse mollem t' delicatam tamque artificiosam in cultu corporis, ut undique odoribus et variis deliciis circumflueret. Quam tantam mollitatem sibi non probri Deus ostendit, cum permisit totum ejus corpus computrescere et tantum exhalarē fœtorem, t' ferri nec a famulis posset. « Diutius ergo, inquit Petrus, hoc languore decocta et miserabiliter ruciata, amicis quoque lætantibus diem clausum extreum. » Igitur ergo, ut timendum, mulier h' ad domum regis tartarei, qui dominatur supermnes filios superbie; cuius aulam si vitare volumus, vitemus ejus aulicos, qui mollibus vestiuntur, etc.

CONCIO IX.

QUINAMINSTAR ARUNDINIS VARI ET INCONSTANTES?
I. Hæretici. — II. Apostatae. — III. Frigidi Christiani.
— IV. Politici. — V. Leves corde. — VI. Vulgus.
— VII. Mundus.

THEMA.

Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatum? Matth. XI.

Interrias ignominias, quas pro nobis Christus pasus est a Judeis, fuit et arundo data in ejus d'eteram, cum spinis coronaretur. Cui ignominiae causam utique dedere plurimi Christiani, ci cum alioquin in Christi dextera sint, adeoqu filii dexteræ, hoc est, felices, et strenui ac irtes esse deberent, sunt interim velut arundo, mutabiles, inconstantes, ad omnem ventumobiles. Grandis ignominia, auditores, hi enim Christo illudunt, et se toti aliquando mundo iudendos exhibent; cum videlicet apparebunaliud non fuisse, nisi arundo vento agitata, q' in præsentis sæculo quasi sceptrum videri vult, manum Christi ornans. Hos igitur ne inemur, videamus quinam sint.

I. Tales sunt hæretici. Ideo a S. Juda in sua Can. vocatur: *Nubes sine aqua, que a ventis circumferuntur, arbores autumnales, fluctus sermaris, sidera errantia.* Sicut enim nubes steriles a ventiagitantur, similiter in autumno arbores (qui) tam eo tempore venti magis flant et fluctus imari semper jactantur, sidera denique errant semper tramitem mutant, ita ut

nunquam eodem loco orientur et occident; ita hæretici nova semper dogmata excogitant et docent, utique agitati a spiritu diabolico. Sic Lutherus, Philippus, Calvinus, aliqui novatores intra paucos annos saepius mutarunt, cude-runt et recuderunt suas catecheses, institutiones et confessiones, veluti Augustanam, quam duodecies mutatam conqueritur prædicans Musculus in colloquio Herzbergensi, fol. XCII. Item in Lutherio ostendit Cochlaeus in lib. cui titulus: Lutherus Septiceps. Quæ causa inter alias movit illustrissimum marchionem Badensem Jacobum, ut a Lutheranismo se recuperet ad fidem orthodoxam. Eamdem Lutheranæ sectæ instabilitatem ridens Fridericus Saxonæ dux, cum a Catholicis rogaretur, quid Lutherani sui crederent, respondit: « Quid hoc anno credant scio; quid vero sequenti anno credituri sint, nescio. » Ita S. Hilarius ad Constantiū et Constantem imperatores ait: Arianos plurimas habere, fides, easque annuas et menstruas.

Denique ipsi secum pugnant, fluctuant et dubitant. Lutherus inter alia in coll. Eisleb. de Christo fol XCVI. §. III. ait: « Sæpe sic mecum cogito; propemodum nescio quo loco sim, et utrum veritatem doceam necne. » OEcolampadius paulo ante mortem: « Ego, ait, totus incertus in fide et fluctuans abeo, coram Dei tribunalationem redditurus atque experturus, utrum doctrina mea vera an falsa fuerit. » Refert Florimundus Ræm. de orig. hæresum l. II. c. VIII. Melanchthon moriturus a matre interrogatus, quæ denique fides sibi retinenda sit, Catholicane an quam docuit, respondit: « Hæc plausibilior, illa securior. » Florim. ibid. c. IX. Causa est primo, quia qui semel a recto tramite aberravit, deinceps crebrius errat, quia nulli viæ acquiescit, postquam veram amissit: hinc in omnibus hæreticis spiritus vertiginis. Quia enim mendacium, cuiusmodi est hæresis, facile deprehenditur, hinc oportet eorum pro-pugnatores nova semper communisci eis fulcrum et velamina.

Secundo. Quia agunt a spiritu diaboli, qui pater est mendacii, et suos semper nititur precipitare in errores majores et maiores.

II. Tales sunt apostatae, qui vento perturbationis seu tentationis transferuntur ab Ecclesia Christi ad synagogam Satanæ. Hac de re arguit Apostolus Galatas, ad Gal. c. I. dicens: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium, quod non est aliud, id est, vanum et fallax.* Quemadmodum soli domui Rahab salus fuit in Jericho, et qui inde pedem extulisset, incidisset mox in gladios Hebraeorum et periisset, Jos. II. ita extra Ecclesiam nemini salus est, et qui ab ea refugit, incidit in gladium dæmonis. Sunt hi velut arbores a vento eradicate et in aerem

DOMINICA II. ADVENTUS.

translatæ, projectæ in terram et contractæ: unde de proprie vocari possunt, arbores autumnales, infruitosæ, bis mortuæ, eradicate, ex Epistola Juda cit. Erant enim in Ecclesia steriles bonorum operum, ideo bis mortui sunt; primo per peccata gravia, in quibus volutabantur, et ita exaruerunt in fructibus; secundo per heresim et apostasiam, et ita aruerunt etiam in radice, ut nulla spes supersit reviviscentiæ. Unde eradiciati ab Ecclesia per excommunicationem, abripiuntur a dæmons et foras projecti, ad ignem tandem æternum a dæmons colliguntur. Talis arundo fuit Lucifer, primus omnium apostata e celo exturbatus. Talis Julianus imp. ab Ecclesia eradicator, et miserrime extinctus. Tales hæresiarchæ, quorum interitus quam calamitosus fuerit, novimus, veluti Calvinum pediculari morbo absumptum, Lutherum in lecto suffocatum (a dæmons vel a semetipso) Zwinglium in bello, cum promisisset omnia se tela Catholicorum excepturum, interemptum, Carlostadium, Buce-rem, OEcolampodium alio modo a dæmons extinctos. Bozius de signis Ecclesiæ, tom. II. l. XXIII. c. III. Florimund. Ræmund. de orig. hæres. et alii.

III. Tales sunt frigidi Christiani, qui hæretorum moribus se accommodant in gratiam ipsorum, et rursum postea cum Catholicis Catholicos se ostendunt. Similes chamæleonti, quo nullum animal pavidi existimatur, et ideo versicoloris est mutationis, ut scribit Plinius. l. XXVIII. c. VIII. mutat enim colorem ac speciem ejus, quem proxime attingit: unde bene chamæleon, id est humilis seu parvulus leo vocatur, quia non tantum corpore, sed et animo talis est. Multi ejusmodi Catholicæ, parvuli inquam leones, qui præ inani timore, pravorum moribus se accommodant, nec audent coram illis facere ea, quae Catholicorum sunt. Contra quos Apostolus ad Eph. IV. dicit: *Jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum.* (Græce in alegatione hominum, q. d. non ludamus cum hæreticis quasi cum aleotoribus de fide nostra, nec ad eorum placitum transferri nos sinamus, quo impellunt illi). Hujusmodi chamælon fuit minister quidam Orthodoxus dilectissimus Theodoro-co regi Ariano. Hic enim cum se regi gratificari posse speraret, si ejusdem cum eo religionis normam acciperet, ad Arianos defecit. Verum eo cognito rex jussit illum capite plecti, dicens: « Si deo fidem non servasti, quomodo mihi, qui homo sum, eam conservabis? » Theodorus lector in collectan. l. II. apud Baron. anno 493.

Item ii, qui hæreticis favent et Catholicis cum sint aut haberit velint, Catholicis contra hæreticos subsidia non ferunt, aut cum utrisque sentiunt; similes Merozitis et Rubenitis in sacro

bello Israelitarum contra Sisaram; quorum illi contribules suos nullo modo juvare voluerunt in quos angelus tulit Domini sententiam: *Maledicite terræ Meroz, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt in auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus.* Hi vero medii et amphidoxi erant, eventum belli præstolantes, ut cum victoribus sentirent, qui tan Baraco, Hebraorum duci, quam Sisara gentilium duci dicebant: *Tui sumus nos, ut ait Chaldæus, Ju-dic. V.*

Rursum ii, qui peccatum hæresecos parvi aestimant, neque vindicta gravi aut infamia dignum: unde hæreticos, si politicam quamdam honestatem servent, viros probos et honoratos judicant, nec eos hæreticos, sed viros religionis reformatae, et hæresim religionem reformatam vocari volunt. Hos metuendum ne maneat ignis ille, qui corripuit Hebraeos excusantes Dathan et Abiram, qui murmurarant et rebellarent contra Moysen. Cum enim eorum peccatum parvum videret parvum, et quasi durius cum illis actum esset, quando a terra absorpti sunt, mox immisit Deus in eam ignem, qui repente 14700. hominum absumpsit, Num. XVI. Sane omnibus his dicitur illud Eliæ III. Reg. XVIII. *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Etenim tunc Hebrei profitebantur se colere Deum verum, interim tamen supplices accedebant ad aras Baal in gratiam regis sui Achab, et Jezabel. Placere studebant Jezabelli, interim tamen nolebant videri defecisse a deo suo, unde ab hujus aris ibant ad aras Baal, et contra; quod taxat ibi Elias.

IV. Tales sunt politici, dupli corde et lingua omnium se moribus et verbis accommodantes. De quibus ait S. Jacobus in Epist. sua c. I. *Vir duplex animo* (Græce, vir bianimis) *incons-tans est in omnibus viis suis.* Hujusmodi sunt hypocrite, parasiti, versipelles et politici, qui duplex habent cor, unum verum, alterum fictum; unde fingunt se amare Deum, cum ament mundum et peccata: fingunt se fideles, et pios, cum sint impii et infideles, cum Catholicis sunt Catholicæ, cum hæreticis hæretici, cum atheis athei, cum castis casti, cum incestis incesti, cum sobriis sobrii, cum ebriis ebrii; suum enim pallium ad omnem ventum obvertunt. Audi Gnathonem, parasitorum principem apud Terentium in eunuch. « Est, inquit, genus hominum, qui summi videri volunt, his ego arrideo et eorum ingenia admiror simul; quidquid dicunt laudo; si negant, laudo id quoque: negat quis? Nego. Ait? Aio, etc. »

Ergo ut polypi mutantur a petris, quibus adhærent; sic isti a magnatibus, quibus addiciti sunt. Ostendunt hæ arundines se esse inanes,